



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Per impatientiam mala non tolli, sed multiplicari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

niant modo inimici, ait S. Augustinus, humi-
 lient, faciant non quidquid volunt, sed sicut de-
 super permittuntur, non quod Deus det illis vo-
 luntatem, nocendi, sed potestatem. Vnusquisque
 enim malus apud se habet voluntatem nocendi;
 ut autem possit nocere, non habet in potestate.
 Ut velit, iam reus est: ut possit, occulta dispen-
 satione providentiæ Dei, in alium permittitur
 ad pœnam, in alium permittitur ad probationem;
 in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam,
 quo modo permisi sunt alienigenæ capere populum
 Israel, quia peccaverunt in Deum. Ad proba-
 tionem permissus est diabolus in Iob: probatus est
 autem Iob, confusus est diabolus. Ad coronam
 verò permisi sunt persecutores in Martyres.
 Sæpe etiam ad pœnam, non illius culpæ,
 quæ ab aduersario impingitur; sed illius, quæ
 à patiente ignoratur.

S. Augu-
 stin. in
 Plal. 29.

§. IX.

Per impatientiam mala non tolli, sed multi-
 plicari.

Hæc talia si considerassent, ob aduersa
 & persecutiones, vel laqueo, vel gladio, vel
 simili desperatione perditæ, malis benè vti
 ad frugem rediissent. Redijt Ephræm, agno-
 uit enim Deum in castigatione amantem,
 non ex odio castigantem. *Crudelis est me-*
dicus,

S. Augu-
 stin. in
 Plal. 33.

Gg

dicus, ait Hipponis Anristes, qui exaudit hominem, & parcat vulneri, & putredini. Matres, quo modo fricant in balneis ad salutem filios? nonne parvuli clamant inter manus earum? Ille ergo crudeles sunt, ut non parcant, non exaudiant lachrymas? Nonne sunt plene pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcat. Sic & Deus noster plenus est charitate; sed ideò videtur non exaudire, ut sanet, & parcat, in sempiternum. Quàm utilis hæc vsura, expendere denarium, ne expendamus talentum? Amat Deus, quos sic castigat. Qui autem castigantem odit, neque Deum amat, neque seipsum; immò malum geminat, cum impatientia nouum mereatur. Pulchra in hanc rem fabula narratur. Solebant quodam in oppido à certis coetibus excludi omnes quacumque corporis parte vitiati, erantq̄ constituti, qui de illorum (si qui fortè obrepisse comperirentur) singulis vitijs, multæ nomine, singulos nummos exigerent. Hi aliquando in claudum inciderunt, exegerunt igitur ab eo multam, quam, leuem licet, noluit dare; cum ergo renitentem inuaderent atque iniectis manibus comprehenderent, animaduenterunt, etiam esse scabiosum. Duos ergo iam ab eo postulabant nummos.

Etiam

Etiam tunc illo refragante, apparuit quoq;
 lippitudo oculorum: Tum isti, iam tres da-
 bis nummos, inquirunt. Egone? ait ille,
 pugnabo potius. In luctâ illâ detecta est
 hernia quoque. Tum exegere tandem num-
 mos ab eo quatuor, qui si vnum dedisset,
 liber ire potuisset. Sic plurimi leuibus ma-
 lis impatienter toleratis, graviora, & con-
 duplicata sibi accersunt; quemadmodum
 fertur Laomedonti quondam accidisse, qui
 equis traditis, quos Herculi promiserat, se,
 & suos conseruare potuisset, quibus dene-
 gatis, non illos postea solùm, sed etiam vr-
 be vi capta regnum amisit. Pari pacto, qui
 castigari à Deo nolunt, ob sua delicta, ni-
 hilominus castigantur, & regnum insuper
 calorum amittunt.

§. X.

Omnes calamitosos se reos agnoscere debere.

At culpam non agnoscis? Nec Ephræm
 agnouerat; beneficium fuit, plecti, vt agno-
 sceret. Multi periculossimè ægrotant, qui
 se sanissimos arbitrantur. Primus sanandi
 gradus est, morbum patefacere. Deus dice-
 re potuit: *Quis me arguet de peccato?* Nos Ioan. 8.
 id dicere non possumus. *Quis enim,* ait S. 46.
 Augustinus, *non ægrotat in hac vita? quis non* S. Augu-
 stin. in
longum Psal. 102.

Gg 2

longum Psal. 102.